EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

DOMINICO URSINO

UTRIUSQUE SICILIÆ

RERUM IN URBE MINISTRO

SE SVASQVE

PHILOSOPHICAS THESES

PUBLICE PROPUGNANDAS

APOLLONIUS BELLI

IN ROMANO SOCIETATIS JESU COLLEGIO
PHILOSOPHIÆ AUDITOR.

D. D. D.

ROMÆ CIↃ.IↃ.CCLX.

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI
PRÆSIDVM FACVLTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Em̃e ac Rm̃e Princeps.

SOLET plerumque uſuvenire, CARDINALIS AMPLISSIME, ut, qui de philoſophicis rebus hoc ex loco diſceptaturi accedant adoleſcentes, tum ipſa rei difficultate, tum etiam doctiſſimorum hominum conventu, atque frequentia perterriti commoveantur, atque exhorreſcant. Neque ſane mirum id cuilibet videri debet, ſi, qua in obſcuritate rerum ver-

ſandum neceſſario ſit, quos apud viros dicendum, animo diligenter perpendat, atque cognoſcat. Ut enim duas philoſophiæ partes, & illas quidem graviſſimas, difficillimaſque ſilentio prætercam, cujus ingenii, quæſo, quantæ facultatis opus eſt eam tantum, quæ ad naturæ leges, cauſſaſque inveſtigandas ſpectat, quæque aliis eſt, & dici ſolet amœnior, pro dignitate propugnare? Prima corporum elementa inquirenda, vires eorumdem definiendæ, agendi modus explicandus, officia demonſtranda, ptoprietates deſcribendæ, apta inter ſe conjunctio, atque efficientia terminanda: quorum omnium nobis eſt comparanda cognitio, ſi cauſſarum ſcientiam comprehendere, complectique animo velimus. Atqui iiſdem de rebus, lites infinitæ prope omni tempore extiterunt, tantâque ſunt in obſcuritate poſita omnia, ut, qui vel peritiſſimi habentur, nihil ſe aliud poſt diuturnas meditationes, atque curas, quam inſcitiam doctam conſequutos eſſe palam profiteantur. Quid tempus ſit, atque inane ſpatium, perſpectum omnibus videtur eſſe, tamen, quum ad ea explicanda accedunt, ſæpe dubitent, hæreant, laqueis veluti quibuſdam ſeſe irretitos ſentiant neceſſe eſt. Nihil jam dicam de diverſa motuum natura, de gravium corporum deſcenſu, de aſtrorum, quæ errantia falſo adpellantur, converſionibus, de aeris vi ac poteſtate, de luminis natura, ejuſque officiis infinitis: quæ, niſi eorum, qui mathematici dicuntur, doctrinæ etiam uſum aliquem, & ſcientiam tenueris, numquam profecto explicaveris. Huc vero illud L. Craſſi accedit, magnum quoddam nimirum eſſe onus, atque munus ſuſcipere, atque profiteri, ſe eſſe, omnibus

ſilenti-

ſilentibus, unum maximis de rebus magno in conventu hominum audiendum. Adeſt enim fere nemo, qui non acutius, atque acrius vitia in dicente, quam recte videat: ita quidquid eſt, in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda ſunt, obruit. Quid mihi faciendum eſt? cedendumne ex hoc loco; aut ſaltem de felici exitu deſperandum? Minime ſane. Quamvis enim tenuitatis ingenii mei probe ſim conſcius, atque imparatiſſimus huc acceſſerim: tamen inſolita quadam me lætitia, atque alacritate perfundi ſentio: nulla obſcuriſſimarum rerum difficultas me terret, nihil hic ſapientiſſimorum virorum conſeſſus movet, quominus ingenii mei periculum libentiſſime faciam, quum tuo, CARDINALIS PRÆSTANTISSIME, mihi conſpectu frui datur, quum Te præſentem oculis intueor, eumdemque judicem habeo, ac patronum meum ampliſſimum. Ego enim ſic ſtatuo, a nulla re excitari magis adoleſcentes, ut in id ſtudium, in quo ſunt, vehementius incumbant, quam cum eorum de litterariis concertationibus non delectari ſolum viros principes, verum etiam iiſdem impenſe favere animadvertant. Itaque nihil ſane aut illuſtrius exoptare, aut ſperare ad gloriam accommodatius me potuiſſe omnes intelligunt, quam ut Tibi iſta virtute, nobilitate, auctoritate viro hos qualeſcumque meorum laborum induſtriæque fructus nuncuparem. Nam ſive ad generis tui antiquitatem, ac ſplendorem, ſive ad Te ipſum reſpicere libeat, eſt profecto, eſt in Te, quod non ſolum hæc Urbs nobiliſſima, ſed Italia univerſa, atque adeo Europa ipſa admiretur. Quæ enim ætas umquam tam longinqua extitit, qua URSINIÆ GENTIS non floruerit

rit aliquis, qui remp. vel ſcientia militari defenderet, vel optimarum artium patrocinio, maximiſque in omne genus hominum beneficiis illuſtraret? Opes, imperia, legationes, præfecturæ, honorum inſignia, nobiliſſima Sacerdotia, atque ipſa in primis Pontificatus maximi dignitas jam tum ab ipſis, ut ita dicam, Ursinii nominis, ac memoriæ incunabulis tua in familia tamquam propria in ſede fixum, ac ſtabile domicilium poſuere. Atque utinam mihi non ita breve ad dicendum tempus datum eſſet, quos ego viros, quantoſque excitarem, atque in medium proferrem! Verum quum & anguſtiis temporis premar, atque ii tot ſint, ut ſi quis omnes ſcire velit,

Lybici velit æquoris idem
Diſcere quam multæ zephyro turbentur arenæ;
Aut ubi navigiis violentior incidit eurus,
Noſſe quot ionii veniunt ad littora fluctus;

locus iſte, omnino mihi prætermittendus eſt. Idque etiam eo libentius facio, quod de te ipſo nonnulla mihi dicenda ſunt. Sed cujus tanta eſt ingenii vis, tantaque dicendi copia, quæ ſatis laudare Te poſſit, qui majorum tuorum gloriam, atque ornamenta omnia virtute tua cumulatiſſime non modum conſequutus es, verum etiam mirum in modum amplificaſti, atque auxiſti? Summa in Te eſt ſapientia, doctrina ſingularis, liberalitas maxima, itemque munificentia, invictus animus, vita, ac mores ſanctiſſimi. Idem ſentiendum de prudentia, de juſtitia, deque illa humanitate tua, quæ omnium animos Tibi mirifice devinxiſti, qua que ut vel ab invitis ameris, jamdiu effeciſti. Quem Tu umquam, graviſſimis quamquam negotiis diſtentus, diſtractuſ-

ſtractuſque accedentem benigne non accepiſti, loquentem libenter non audiviſti, petenti non opem tuliſti? Suum in Te ſubſidium inopes, ſolamen afflicti, oppreſſi refugium, tutamen miſeri, ſpem ſuam denique ſitam eſſe omnium ordinum homines teſtantur. Ac ne longior ſim, quam oportet, in re præſertim clariſſima, dicam profecto palam, quod ſentio, atque ita, ut omnes audiant; multos Romæ ſæpe viros extitiſſe, atque adhuc exiſtere omni virtutum genere ornatos, CARDINALI vero URSINIO paucos omnino pares fuiſſe, aut eſſe. Cujus quidem judicii mei de Te juſtiſſimi teſtis ſit Benedictus hoc nomine XIV. incredibili Pontifex ſapientia, ac doctrina præditus, qui te in altiore dignitatis gradu collocatum ſuorum conſiliorum & participem, & adjutorem eſſe voluit. Quo facto clariſſime ſeſe oſtendit lumen animi, ingeniique tui, ut nullus eſſet honor tantus, qui in Te collatus, non videretur ei, qui contuliſſet, magnam eſſe judicii laudem allaturus. Teſtis ſit ille tantus bonorum plauſus, atque illa tanta lætitiæ ſignificatio, quantam in animis hominum recte ſentientium ſumma dignitas virtuti tributa potuit excitare. Teſtis ſit denique Carolus pridem utriuſque Siciliæ, nunc Hiſpaniarum Rex potentiſſimus, ac ſapientiſſimus, qui ab Italia decedens Neapolitani Regni, ac Siciliæ Adminiſtrum in Urbe Te eſſe voluit, ratus nimirum, quodcumque ex Te proficiſceretur, id ex juſtitia, æquitate, prudentia factum iri. Sed jam video virtutum tuarum ſplendorem, ac pulchritudinem longius me abripuiſſe, quam provideram. Sunt enim hujuſmodi, ut, cum in iis expendendis ſemel animum defixeris, modum tenere

non

non poſſis, & facilius ſit initium orationis, quam exitum invenire.

Itaque Tibi primum gratulari debeo, quod tum a natura, tum a Te ipſo ita factus ſis, ut nemini vel nobilitate vel virtute cedas: deinde beneficio tuo immortali mihimetipſi quoque lætandum magnopere eſſe duco, quod talem ſim nactus patronum, in quo deſit nihil, quod ad diſputationem hanc meam illuſtrandam, atque honeſtandam maxime faciat. Reliquum eſt, CARDINALIS AMPLISSIME, ut, quoniam mei erga Te obſequii monumentum hoc quodcumque non renuiſti, illa me humanitate, benignitate, atque amore, quibus ad hoc munus ſuſcipiendum impuliſti, dicentem complectare. Equidem ſi ingenii mei vires, ac facultatem ſolum conſidero, tanto oneri ſuſtinendo imparem me eſſe video; parem tamen, ſi gratia mihi tua non deſit: quam ut ſperem, virtus eadem tua me impellit.

EX

EX LOGICA.

I. LOGICAM cum Cicerone (*q. ac.*) facultatem veri & falſi diſceptatricem, ac judicem dicimus.

II. Qui veri defendendi, aſſequendi, atque demonſtrandi honeſta flagrat cupiditate, ſyllogiſticam formam a Zenone Eleate primum adumbratam, ab Ariſtotele Stagyrita expolitam ſubinde, atque perfectam religioſe tueatur, ac ſervet.

III. Falſo & incohærenter Johannes Lockius veritatis ille (ut de ſe ipſe profitetur) cultor eximius eam tanquam ineptam contemnit & improbat. *de intell. hum. lib.4. c.17.*

IV. Itaque ſyllogizandi artem cum veteribus ſcholaſticis, & cum recentioribus Logicis perutilem eſſe propugnamus: atque rationibus a Chriſtiano Wolfio excogitatis eam, ejuſque Summuliſticas, quas vocant, Leges a criminationibus vindicamus, quibus aliqui recentiores, Dialecticos Ariſtotelicos gravare auſi ſunt.

DE VERITATIS NATURA.

V. NAtura Logicæ veritatis prout a morali, & metaphyſica ſecernitur veritate, tribus continetur cognitione nempe, objecto, & ejus cum hoc conformitate.

VI. Quod ad cognitiones ſpectat earum ſcrutati originem ſtatuimus animam humanam non creari a Deo omni prorſus notitia deſtitutam.

 VII. Vo-

Digitized by Google

VII. Volumus ſtabile aliquod determinativum animæ ab ejus conditore quoquomodo ſuperaddi, vi cujus nonnullis tum contingentibus, tum neceſſariis veritatibus in ipſo ortu primo inſtructa veriſſime dici queat.

VIII. Quam ſententiam, ſi de veritatibus contingentibus ſermo ſit, invictum ratiocinium nobis perſuadet.

IX. Si de neceſſariis; non ſolum ratiocinium, ſed etiam plura Scripturæ, & SS. PP. loca.

X. Quo ſenſu notitias ad modum habitus inditas propugnamus: in iiſque cum Buffierio noſtro (*trait. de prem. veritez chap.5.*) primarum veritatum ſenſum communem reponimus: nec tamen proinde Carteſio nos aſſeclas adjungimus.

XI. Imo contra Carteſium, & Platonicos omnes, ideas actuales quaſcumque cenſemus ab anima acquiri advertente ſenſationes, cogitationes, volitioneſque ſuas.

XII. Et ſane (ut ait Cicero) *ſapienter Peripatetici arbitrantur; quidquid animo cernimus, id omne a ſenſibus oriri.*

XIII. Et longe a veritate illi abeunt, qui ideas gigni negant, eaſque ſemper eſſe volunt, ac ratione, & intelligentia contineri.

XIV. Quin illi etiam, qui occaſione motuum cerebri ſucceſſive infundi putant animæ ideas, ad quas ipſa, mere recipiendo, paſſive tantum concurrat.

XV. Neque vero imagines incorporeas, quæ idola nominantur, ingenitas proinde putamus, eaſque in mente deliteſcentes ſenſuum motionibus excitari.

XVI. Idearum denique innatarum Malebranchianam rejicimus theoriam.

XVII. Falſum igitur omnino eſt, omnia nos in Deo videre, ſive in ideis Dei archetypis, æternis, & intelligibilibus.

XVIII. Falſum eſt dicere, quod nonniſi intuitiva divini Verbi intellectualis viſio ſit motivum, quo veritatibus neceſſariis aſſentimur.

XIX. Falſum, non ſolum corpora, ſed etiam mentes nobiliſſimas in ſola impotentia verſari.

XX. Falſum denique illud principium, ex quo ſuperiora fluxerunt, nempe animam humanam (quod ipſe ait Malebranchius) Deo ἀμέσως eſſe conjunctam.

XXI. Itaque activa vi pollet humana mens, qua ex affectioni-

ſtionibus, quas patitur, cujuſcumque generis rerum ideas ipſa exprimit, gignit, & fabricat, eaſque ſibi contemplandas proponit.

XXII. Qua idearum geneſi detecta, & conſtituta, aliquid etiam ut proponamus de illarum natura, dicimus non ſatis conſtare utrum ideæ a perceptionibus realiter diſtinguantur; atque adeo utrum Arnaldo, an Malebranchio oporteat aſſentiri: illud tamen unum affirmamus, per Malebranchii doctrinam nequaquam animi ſimplicitatem tolli.

XXIII. Illud inſuper conſtat & manifeſto liquet, ideas omnes neque eſſe ſubſtantias, per quarum acceſſionem ipſa animæ ſubſtantia creſcat, quod ſentire videtur auctor operis *De actione Dei ſuper creaturas*.

XXIV. Neque eas extra mentem ſubſiſtere, & mentem ita iis veluti circumdari, ut mundus intelligibilis efformetur: quod opinatur recentiſſimus Metaphyſicus in eam inductus opinionem, quod exiſtimet (immerito quidem, ut nobis videtur) ſubſtantias ſpirituales cujuſcumque intrinſecæ mutationis & modificationis eſſe incapaces.

XXV. Quod dictum volumus non tantum de ideis proprie dictis, ſed de illis etiam, quæ meræ notiones appellantur.

XXVI. Hanc enim duplicem primitivarum cognitionum claſſem admittendam eſſe, cum doctiſſimo nuper citato Metaphyſico propugnamus, & inter unam & alteram diſcrimen ita conſtituimus.

XXVII. Nempe idea eſt vera repreſentatio objectivi aliquid continens: nullo pacto mentem objectat mera notio, & non diſtinguitur ab interno animæ advertentis experimentali ſenſu.

XXVIII. Idea ſimplex proprie talis paſſionem aliquam prærequirit, ex qua immediate determinatur mens ad illam active cudendam. Notio vero plerumque non exiſtit, niſi poſt ideam jam elicitam, ex qua quoquomodo ab anima advertente deciditur.

XXIX. Simplicium idearum numerus eſt valde exiguus: hujuſmodi autem ſunt ideæ *colorum*, *ſaporum*, *odorum &c.*; eæ nempe, quæ objectis noſtrorum ſenſuum correſpondent: non ita exiguus eſt notionum numerus, quæ his nominibus indicantur *actus*, *unitas*, *differentia*, *impoſſibile &c.*

XXX. Et quod ad *impoſſibile* attinet: illud inter notiones repo-

Digitized by Google

reponimus, quia illius ideam proprie dictam non habemus; & quod non aliter cognoſcimus, niſi ex ſenſu experimentali fruſtranei conatus adhibiti ad conjungendas mentaliter duas ideas.

XXXI. Præcipua vero tum ſimplicium idearum tum notionum proprietas eſt, ut verbis explicari non poſſint; quibus ſi quis careat, a nemine edoceri queat.

XXXII. Poſt ideas ſimplices & notiones complexarum idearum naturam contemplantes, tales eſſe dicimus, quæ ex pluribus ideis ſimplicibus componuntur.

XXXIII. Idcirco a Malebranchio recedimus exiſtimante eſſe ſimplices ideas, quas habemus *de arbore*, *de corpore*, *de domo*, deque cœteris materialibus rebus.

XXXIV. Compoſitio autem hujuſmodi fit a mente noſtra adhibente notiones tanquam vincula, & ligamina ſimplicium idearum.

XXXV. Hinc ratio patet, cur rationem exercere nonniſi poſt plures annos incipiant pueri.

XXXVI. Scilicet eo ferme pacto uſum rationis acquirimus quo legere ediſcimus; & ſicuti ad legendum opus eſt in primis literarum notas dignoſcere, tum litteras cognitas in ſyllabas conjungere, denique ſyllabis ipſis conſtantes voces unico oris ductu pronuntiare; ſic ad ideas compoſitas efformandas ab ideis ſimplicibus, a primis veluti elementis, initium eſt deſumendum.

XXXVII. Quod mentale artificium facile declaratur evolvendo hanc ideam *civitas*.

XXXVIII. Verum ut rationis uſus ſit expeditus non ſufficit mentem eſſe inſtructam multiplici idearum utcumque complexarum numero; opus eſt præterea eam eſſe præditam pluribus etiam univerſalibus ideis, quas acquirimus, eas a ſingularibus abſtrahendo, facta præciſione a ſingularitate.

XXXIX. Atque ut abſtrahendi ſimul ac præſcindendi rationem aperiamus, & quoad hanc etiam proprietatem idearum naturam ſtatuamus, nullam omnino ideam volumus eſſe comprehenſivam.

XL. Quod inde fit; quod ex una parte idea quælibet objectum ſuum ad aliquod referat connotatum, ex alia impoſſibile ſit ad quæcumque connotata referre objectum.

XLI. Cum-

Digitized by Google

XLI. Cumque per quamlibet ideam res, quæ repræſentatur acquirat eſſe intentionale ſibi extrinſecum, quod non diſtinguitur quidem realiter ab eſſe reali ideæ, ſed tamen non eſt ipſum eſſe reale ideæ; ſequitur, per multiplicem ideam diverſam rem utcumque indiviſibilem, & indiſtinctam diſtingui formaliter dictinctione rationis.

XLII. Quæ diſtinctio confundenda non eſt cum præciſione reali objectiva; (hanc enim repugnare omnino arbitramur);

XLIII. Quæque alii fundamento non innititur, quam relationi, quam habet quodcumque objectum cognoſcibile ad diverſa connotata.

XLIV. Neque enim, ad hujuſmodi fundamentum conſtituendum, opus eſt aut diſtinctione formali ex natura rei, aut diſtinctione virtuali intrinſeca, aut præciſione ulla objectiva, pro quibus nulla ſolida ratio afferri poteſt.

XLV. Qua capta occaſione falſam dicimus doctrinam Lockii identitatem ita definientis (*lib.2. cap.21.*) *identitas eſt coexiſtentia duorum in eodem loco*, *contra diſtinctio*.

XLVI. Denique, ut varias etiam proponamus idearum dotes, ſtatuimus claras habendas eſſe illas ideas, quæ ita ingenio elaboratæ ſunt, & perfectæ, ut earum luce rem ſatis pro imbecillitate mentis noſtræ a nobis percipi exiſtimemus;

XLVII. Diſtinctas vero eas dicimus, quæ rerum tales animo objiciunt notas, quibus a cæteris facile ſecernantur.

XLVIII. Quare bene Lockius haberi affirmat ideas claras, quæ diſtinctæ non ſunt, & contra ideas diſtinctas claritate deſtitutas.

XLIX. Sed jam præſtat alterum Logicæ veritatis conſtitutivum nempe cognitionum objecta expendere, atque ad eas claſſes reducere, quas *καθεγορια* Ariſtoteles appellavit.

L. Circa quod unum nobis negotium eſt Lockium confutare, qui peccat nimium, ubi ſubſtantiam eſſe ſubjectum penitus ignotum, & incognoſcibile pronuntiat:

LI. Atque ita periculoſam de unico ſubſtantiæ genere excitat dubitationem.

LII. Nec bene philoſophatur, ubi ideam materiæ affirmat non excludere poſitive facultatem cogitandi.

LIII. Nec de accidente abſoluto, nec de modalitatibus bene

Digitized by Google

ne differit, cum afferit ſuſpicari poſſe an vis cogitativa ſit materiæ combinatio, aut configuratio:

LIV. Cumque vult ſatis non conſtare, an Deus poſſit ſuperaddere materiæ tanquam ipſius proprietatem facultatem cogitandi.

LV. Quidquid autem contranitantur Lockii ſuffragatores, *in lib.4. de intellectu humano* Metaphyſicus Anglus & Spinoziſmum aliquatenus fovet, & materialiſtis ſaltem inſervit.

LVI. Reſtat denique ex tribus veritatis Logicæ conſtitutivis tertium illud, nempe conformitatem cognitionis cum objecto expendere.

LVII. De qua id unum dicimus, eam eſſe meram relationem, quæ certe non conſiſtit in ulla entitate utrique termino ſuperaddita.

DE VERITATIS EXISTENTIA.

LVIII. Veritatem univerſim, & ſcientiam exiſtere propugnamus adverſus Pirrhoniſtas, Acathalepticos, Epecticos, Zetheticos, Aporeticos, & contra placita quædam Petri Baelii.

LIX. Quin etiam contra Carteſium, qui in meditationibus ſuis illorum philoſophiam renovare videtur, qui negarunt quidquam ſciri, aut percipi poſſe.

LX. Adverſum etiam Platonicos veteres, & recentiores veritatem non ſolum exiſtere, ſed & cognoſci de novo, & non eſſe meram reminiſcentiam propugnamus.

LXI. Particulatim deinde de exiſtentia veritatis diſſerentes, eam ideis tum ſimplicibus tum compoſitis attribuimus, imo nullam ideam formaliter falſam eſſe contendimus.

LXII. Judicia autem, & propoſitiones ea enunciantes, falſitatem diſjunctive determinate, & veritatem admittunt.

LXIII. Quod non ſolum dictum volumus de judiciis, & enunciationibus rerum præteritarum, ſed etiam rerum ſive abſolute, ſive conditionate, & contingenter futurarum.

LXIV. Nuſquam quidem ſunt res hujuſmodi, attamen omnes determinate ſunt, etiamſi tempore abſint, & nec magis commutari ex veris in falſa poſſunt, quæ futura ſunt, quam ea, quæ facta ſunt.

LXV. Te-

Digitized by Google

LXV. Temere hinc oſtendimus deduci a Stoicis neceſſitatem, & fatum.

LXVI. Rerum autem hujuſmodi, quæ contingenter fient, & quarum proinde veritas eſt determinata, nulla eſt certa (ſecluſa divina revelatione) apud homines præſenſio.

LXVII. Deus vero earum omnium, ſive abſolute, ſive conditionate futurarum ſcientiam habet, non conjecturalem, non variam & inconſtantem, ſed firmiſſimam, & certiſſimam: idque nullo pacto humanæ libertati officere propugnamus multiplici ratione freti, & ea etiam quæ ab idea divini indiviſibilis, & fixi inſtantis clare deducitur.

LXVIII. Apud homines autem, quamquam ut ſuperius dictum eſt, nulla ſit rerum contingenter futurarum ſcientia, prudens tamen judicium de iis ferre poſſumus (*ut docet Ariſt. lib.2. Rhet.c.7.*) cum illæ habentur circumſtantiæ, quibus poſitis res illæ, ut plurimum accidunt.

LXIX. Et omnino imprudenter judicamus cum perſpectæ nobis non ſint circumſtantiæ, quæ eventus exiſtentiam præcedere ſolent.

LXX. Porro inquirentibus unde enunciata futurorum determinate vera ſint, vel falſa, videtur liquido conſtare, id eſſe ex divino decreto ſi de futuris ſermo ſit ſoli Deo immediate liberis.

LXXI. Res autem futuræ, quæ a creato arbitrio immediate pendent præſupponunt quidem aliquod divinum decretum applicativum divinæ omnipotentiæ; propoſitiones tamen res hujuſmodi exprimentes veræ ſunt determinate, vel falſæ ex determinatione, qua creata voluntas libere agit; non autem ex ullo decreto prædeterminante.

DE DOTIBUS VERITATIS.

LXXII. Forma inſignis eſt veritas, & quanquam oculis ipſa non videatur, ejus tamen dotes vehementes amores excitant ſui.

LXXIII. Sunt autem dotes, & quaſi inſignia veritatis, & cognitionis, certitudo, & perſpicuitas, & probabilitas. Certitudo evidentiam non importat, evidentia tamen a certitudine ſejungi non poteſt.

LXXIV. Cer-

Digitized by Google

LXXIV. Certitudinem utique ſummam in arctiſſima mentis noſtræ adhæſione conſiſtentem veritatibus fidei divinæ tribuimus; cæteris autem hoc meritum denegamus.

LXXV. Atque (quantum philoſopho ad Theologicas diſciplinas ſeſe diſponenti fas eſt) explicamus, qua ratione prudens ſit fidei actus, cum tamen ejus certitudo ſit firma magis, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

LXXVI. Perſpicuitas ſeu evidentia triplicis eſt generis, alia metaphyſica, alia phyſica, alia dicitur moralis.

LXXVII. Evidentia metaphyſica eſt clara perceptio motivi mentalem aſſenſum extorquentis tendentiam hanc importans: *res ita eſt nec poteſt aliter eſſe.*

LXXVIII. Evidentia phyſica præciſive ab evidentia morali ſpectata aut nulla eſt, aut cum metaphyſica coincidit.

LXXIX. Redundans eſt evidentiæ moralis partitio, quam ſecernere nonnulli conſueverunt in triplicem ordinem.

LXXX. Etenim aſſumpta definitione ordinis primis, & exemplo proponi ſolito *typorum*, *ex quibus temere excuſſis perſpicuum eſt non prodituros unquam Ennii annales*: aſſerimus evidentiam hujuſmodi æquivalere metaphyſicæ perſpicuitati.

LXXXI. Duplicem itaque tantum agnoſcimus moralis evidentiæ claſſem cum Lockio.

LXXXII. Et contra Lockium ſtatuimus evidentiam moralem facti per conſtantem traditionem propagati, nullum pati ex diuturnitate temporis detrimentum;

LXXXIII. Et non modo non imminui apud remotiores ab origine generationes, ſed etiam augeri.

LXXXIV. Lumen evidentiæ objectivæ quoad ſe majus eſt lumine evidentiæ mere putatæ.

LXXXV. Verum, ſive quod parum defigamus animum in ea, de quibus eſt judicandum, ſive quod malis moribus, opinionibuſque depravati rationis lumen quaſi reſtinguimus; aliquando fit, ut mens ad inanem aſſenſum ineluctabiliter rapiatur:

LXXXVI. Idque ita ut inanitatem ipſam proxime dignoſcere nequaquam poſſit.

LXXXVII. Intereſſe quidem oportet ut inter rectum, & pravum, ſic inter verum, & falſum.

LXXXVIII. At hujuſmodi diſcrimen menti nequaquam ſe offe-

offeret, ſi ad illud dep rehendendum opus ſit alterum judicium altero judicio expendere; quis enim eſſet expendendi finis?

LXXXIX. Itaque ſi regulam veri, & falſi eam intelligamus, cui, ſi pareat animus, nunquam fallatur, nullam profecto, neque in evidentia exercita, neque in actu reflexo, habemus regulam veritatis.

XC. Porro ſi Dei providentiam ſpectemus, illud ſane liquebit, non ita eſſe communem veri, & falſi perſpicuitatem, ut non plerumque ab errore omni animus ſervetur immunis.

XCI. Secus enim veri, & falſi, non modo cognitio, ſed & natura tolleretur.

XCII. Ex quibus patet quantum recedamus circa veritatis criterium ſtatuendum, tum a Carteſio, tum a Daniele Huetio, tum a Doria, a Maglia, aliiſque regulam univerſalem veri admittentibus, eamque aut in auctoritate Dei, aut in unitate mettaphyſica, aut aliter, quam in exercita evidentia conſtituentibus.

XCIII. Sequitur nunc, ut tertiam veritatis dotem perſequamur, nempe probabilitatem.

XCIV. Et ſane, ſi neque commentando, neque diſputando queat philoſophus elicere, & tanquam exprimere aliquid, quod perſpicuæ veritatis notis ſit illuſtratum, ad veritatem ſtudeat quammaxime accedere.

XCV. Qua ratione ſi ſcientiam non aſſequetur, opinionem tenebit, judicium nempe, quod a certo, a perſpicuo diſcrepat; etſi nullam mentis fluctuationem involvat.

XCVI. Etſi bene ab aliis probabilitatem multipliciter definiri, & dividi noverimus; in intrinſecam, & extrinſecam; in objectivam, & ſubjectivam; in ſolidam, & tenuem &c, a nobis tamen hic veri apparentia quælibet appellatur probabilitas; ſtatus nempe mentis quicumque inter ignorantiam, & certitudinem medians.

XCVII. Quoties autem menti obverſatur res ſpecie probabilis, ſi fallibilitas, neque negative, neque poſitive appareat; utique volumus intellectum erumpere neceſſario in actum opinativum;

XCVIII. Qui ſatis a ſcientifico, quomodo diſcriminetur, oſtendimus.

XCIX. Hinc etiam fit, ubi aſſenſi ſumus iis, quæ ad probabiliter concludendum ſumpta ſunt, ſi perſpicua ſit comple-

 xio,

xio, & mens in priſtino perſtet aſſenſu, aſſenſum rei deductæ denegari, ſeu ſuſtineri non poſſe.

C. At ſi motivum probabile menti obiiciatur, ut poſitive, aut negative fallibile; nec per opinionem illi mens poteſt adhærere.

CI. Quod fit etiam, quando proponuntur rationum imparia momenta, cum nempe ita conſtituta mens eſt, ut, ſive probet aliquid ex iis, ſive improbet, non poteſt omne deceptionis oblatum vitare periculum.

CII. Tunc neceſſario hæret, ut ab omni lapſu contineat temeritatem.

CIII. Nec anceps cura mentis, exitum habet ullum, donec ab alterutra ſpecie cogitatio, ſeu attentio avertatur.

CIV. Quod quidem libere faciunt, qui mente capti non ſunt, & hac dumtaxat ratione voluntatis immediato directo imperio, in aſſenſibus naturalibus ſubeſt intelligentia.

CV. Errant autem qui putant, ex his philoſophicis quæſtionibus, quæſtionem pendere theologicam, de uſu licito opinionis probabilis in conflictu probabilioris.

CVI. Denique poſt recenſitas veritatis dotes, recenſemus erroris, levitatis, ac temeritatis principia, a quibus cavere debet philoſophus.

CVII. Ea autem ſunt, prava educatio; perturbatio cupiditatum, ideæ rerum minime diſtinctæ, & nimia mentis in judiciis ferendis celeritas.

CVIII. Quibus malis remedia ſunt; aſſidua lectio librorum, ſcholaſtica diſputandi methodus, cupiditatum moderatio, in judicando mora, atque diligentia.

CIX. Hæc adhibeat qui vere ſapiens eſſe vult, quique novit ab idea illa, quam de philoſopho habere debemus, errore, levitate, & temeritate, nihil eſſe diſiunctius.

EX PHYSICA GENERALI.

DE OBJECTO PHYSICÆ, ET REGULIS IN HAC FACULTATE RATIOCINANDI.

CX. CORpora exiſtere eſt, non modo phyſice, imo metaphyſice certum, quod ſi non ſit, actum eſt de ſcientia phyſica.

CXI. Ruunt

Digitized by Google

CXI. Ruunt itaque argumenta omnia, quæ pro exiſtentia ſubſtantiarum tantummodo ſpiritualium, late congerunt, qui ex Berklei, Fardellæ, & Malebranchii placitis idealiſmum promovent.

CXII. Et ea inſuper infirmantur argumenta, quæ ad tollendum idealiſmum ab iis adhiberi conſueverunt, qui phyſicam certitudinem de exiſtentia ſubſtantiarum materialium evincere contenti ſunt.

CXIII. Ita quidem cenſemus de corporibus univerſim acceptis, ſeu de ordine providentiæ naturali ab auctore naturæ ſelecto inter innumeros poſſibiles, & nobis certa quadam ratione congruenter per notitiam inditam manifeſtato.

CXIV. Aliter ſcilicet judicamus de corporum ſingularium exiſtentia, quæ phyſice tantum nobis innoteſcit.

CXV. At ne phyſice quidem, & nullo prorſus modo, de magnitudine corporum abſoluta judicare poſſumus.

CXVI. Idemque ſentimus de corporum motu: cum numquam relativum motum liceat a motu abſoluto certo diſcernere.

CXVII. De ſitu etiam, & figura corporum reſpectivum tantum judicium ferimus, pro oculi conſtitutione, atque luminis natura.

CXVIII. Cauſæ rerum naturalium non plures admittantur, quam quæ veræ ſunt, & phœnomenis ſufficiant explicandis.

CXIX. Effectorum naturalium ejuſdem ſpeciei, eædem cenſendæ ſunt cauſæ, niſi habeatur aliquid in contrarium.

CXX. Qualitates corporum, quæ neque intendi, neque remitti poſſunt, pro qualitatibus corporum omnium, dum in ſuo ſtatu conſiſtunt naturali, habendæ ſunt.

CXXI. Argumentum inductionis vim habet omnem in hac facultate, aliquibus ſervatis conditionibus.

CXXII. Nullam omnino vim habent argumentationes, quas Leibnitiani inſtituunt ex principio rationis ſufficientis; quum principium hujuſmodi non modo firmum non ſit; verum etiam aperte contrarium divinæ, & humanæ libertati.

CXXIII. Ut recte ex teſtimonio ſenſuum argumentemur, eorum omnium habeatur ratio: nempe, & diſpoſitionis ſenſuum, & medii, & impreſſionis in ſenſibus receptæ, & affectionis in animo excitatæ.

Digitized by Google

DE VERITATIBUS PHYSICIS AD PHYSICAM CONSTITUENDAM CONDUCENTIBUS.

CXXIV. Corpora omnia ſunt naturaliter impenetrabilia.

CXXV. Sunt etiam omnia extenſa: nullo tamen argumenti genere probari poteſt, ea habere extenſionem mathematice, ſeu accurate continuam.

CXXVI. Corpora omnia ſunt figurabilia, & habent ſemper aliquam actualem figuram.

CXXVII. Sunt etiam mobilia.

CXXVIII. Nullo argumento metaphyſico, ſed bene phyſico conſtituitur, corpus quodcumque perſeverare in eo ſtatu quietis, vel motus uniformiter indirectum, in quo ſemel eſt poſitum, niſi quatenus a potentiarum quarumdam actionibus cogatur ſtatum mutare.

CXXIX. Quo ſenſu vis inertiæ reſpectiva ad hoc mundiale ſpatium, negari non debet.

CXXX. Mutationes ſtatuum ſunt proportionales viribus impreſſis. Vires autem exercentur ſemper in partes oppoſita.

CXXXI. Ex quo jure optimo deducitur, actioni ſemper contrarium, & æqualem eſſe reactionem.

CXXXII. Experimentis, & obſervationibus phyſicis conſtat, naturalem corporum diviſionem eouſque produci, ut omnis obruatur imaginatio.

CXXXIII. Diviſibilitas autem materiæ in infinitum abſolute repugnat. Et qui materiam actu exiſtentem diviſibilem in infinitum dicunt, vel ſibi ipſi contradicunt, vel petunt principium.

CXXXIV. Idque aſſerimus, ſimul contendentes, non probabilibus, ſed evidentibus argumentis conſtare, continuum mathematicum eſſe vere, ac proprie finite in infinitum diviſibile.

CXXXV. Argumentis a poſteriori eo ducimur, ut conſtituamus, legem continuitatis ſervari ſemper in omnibus quantitatibus corporeis, quæ continuo tempore durant, & unico momento temporis non poſſunt duas magnitudines habere.

CXXXVI. Imo, duce Ariſtotele, (*Catheg. c.6. de Quanto*,) quem in hunc locum Leibnitius, & Boſcovichius noſter

ſter advocant propugnatorem ſuum , prædicta continuitatis lex probari etiam poteſt argumentis a priori .

CXXXVII. Non iis tamen , quæ Bernoullius , aliique paſſim Leibnitiani , ex defectu rationis ſufficientis deducere conſueverunt .

CXXXVIII. Plane autem æquivocationes hac in re , & difficultates a Maupertuiſio propoſitæ ſolvuntur .

CXXXIX. Eadem præaſſerta continuitatis lex ſaltum a natura excludens , in naturam neceſſario inducit vires repulſivas mutuas .

CXL. Inducit etiam vires attractivas mutuas .

CXLI. Atque ab accurato contactu partes materiæ quaſcumque invicte diſterminat .

CXLII. Neque enim illorum rationes nobis probantur , qui accurati conctactus tenaces, plus , quam philoſophum deceat , ad corpuſcula newtoniana confugiunt , eaque (pervertentes illi quidem conſtantiſſimam analogiam) compenetrationis alicujus capacia eſſe pronunciant .

CXLIII. Et eorum præterea , qui ſufficientem rationem agnoſcunt extinctionis motus , & accurati contactus in oppoſitione directionum , quibus bina corpora ſe invicem petant .

CXLIV. Et denique illorum , qui caventes a ſaltu , quo naturam deformari inclamant , ſe ajunt *phantaſiæ repugnantes*, *intellectu puto* duplicem velocitatem deprehendere , *mathematicam* , *& phyſicam* , hancque durare poſt contactum volunt , illam vero totam in contactu periiſſe contendunt .

CXLV. Nos ſcilicet *phantaſiæ repugnamus* , *caſtigamus phantaſiam* , *& intellectu puro* rem expendentes , judicamus; doctiſſimos iſtos Leibnitianos ludere in voce motus , & transferre difficultatem , non ſolvere .

CXLVI. Eximunt illi quidem fortaſſe a ſaltu velocitatem , quam vocant *intrinſecam* , & *veram* ; & ſaltum inducunt in velocitatem , quam vocant *mathematicam*, & *motus relationem* ſeu *affectionem*.

CXLVII. Porro vires, ſaltum, & contactum impedientes, tamquam qualitates occultas injuria derident aliqui ; injuria itidem alii ab iis metuunt , quaſi mechanica omnis per eas pervertatur . Injuria denique eas impugnant , qui in tanta varietate , atque alternatione acceſſuum , & receſſuum ; attractionum ,

num, & repulſionum, multiplicem, & variam, atque inconſtantem nimis exhiberi naturam inclamant.

CXLVIII. Scilicet idea determinationis cujuſcumque, ſatis eſt omnibus perſpecta; explorata itidem eſt, idea acceſſus, & receſſus; nec ſub alio conceptu, quam ex efformato ex his duabus ideis, vires prædictas proponimus.

CXLIX. Quod ad mechanicam attinet; qui eam perverti autumant ex theoria virium in diſtantia agentium, & præjudiciis laborant, & quæ Archimedes de æquilibrio, quæ Galileus de gravium deſcenſu, & de projectis, quæ Hugenius de centralibus viribus, & de centro oſcillationis, quæ Newtonus de motibus in trajectoriis quibuſcunque, aliique mechanici egregie tradiderunt, ſe numquam ſatis expendiſſe oſtendunt.

CL. Petitione principi turpiter laborant, cum, argumentantes contra mechaniſmum virium iſtarum, ajunt; in immediato impulſu rationem ſufficientem motus deprehendi, non autem in diſtantia.

CLI. Quæ reprehenſio juſtius in eos cadit, qui impulſum immediatum dicunt, eſſe occaſionem, qua poſita, Deus movet corpora; & ſubinde abſurdum eſſe inclamant, quod Deus ad motum cauſandum, diſtantiam aliquam determinaverit; ut nullam, ipſis fatentibus, determinavit.

CLII. Denique non nimis variam, & inconſtantem naturam per vires iſtas exhiberi, facile ſic demonſtramus.

CLIII. Nexus ſcilicet virium cum diſtantiis, viriumque tranſitus multiplices, exponimus per curvam, ſecantem axem in plurimis punctis, & habentem bina crura aſymptotica; alterum ex parte repulſiva, in origine abſciſſarum; alterum ex parte attractiva, ubi eæ jam ſunt ingentes; quorum prius habeat pro aſymptoto rectam axi perpendicularem, ductam per originem abſciſſarum; poſterius axem ipſum.

CLIV. Quæ curva, arcubus utcumque pluribus, circa axem contorqueatur; & idcirco implexa primo aſpectu videatur geometriæ, atque algebræ penitus imperitis; ſimplicem tamen eſſe, &continua, & per unicam algebraicam formulam commmode exponi invicte demonſtravit curvæ ejuſdem inventor Boſcovichius.

CLV. Vires itaque, jam attractivæ, jam repulſivæ, non ſunt duplex virium genus; ſed eadem ſimplicis naturæ vis, ab

Digitized by Google

ab ipſa natura ſua determinata ad mutandam, pro varietate diſtantiarum, directionem.

CLVI. Hæc autem uniformis virium lex, alibi ad alias leges in immenſum accedit.

CLVII. In minimis enim diſtantiis, in quibus ſola exeritur vis repulſiva, repulſio ipſa creſcit in aliqua non minore, quam ſimplici ratione reciproca diſtantiarum.

CLVIII. In mediis variantur mutuo attractiones, & repulſiones; ita ut uſque ad ſummum arcum vires iſtas per ordinatas exprimentem, creſcant, tum decreſcant.

CLIX. Hinc patet, plures haberi limites inter attractionem, & repulſionem, qui duplicis generis ſint;

CLX. Aliquos nempe, in quibus, auctis diſtantiis, fit tranſitus a repulſione, ad attractionem, quos dicimus *limites cohæſionis*;

CLXI. Alios, in quibus fit tranſitus ab attractione ad repulſionem, quos dicimus *limites non cohæſionis*.

CLXII. Porro primum genus limitum validius eſt, vel debilius, pro ratione arcuum, a quibus, & ad quos fit tranſitus.

CLXIII. Poſt medias diſtantias, conſiderandæ veniunt diſtantiæ majores, in iſtis ſolam dicimus exeri vim attractivam, Newtonianæ attractionis leges ad ſenſum ſervantem.

CLXIV. Hinc celeberrimis Kepleri compertis inſiſtentes, ſolem, non tellurem volumus eſſe centrum Planetarii ſiſtematis.

CLXV. Non tamen ſolem, omni prorſus expertem motu, ſed & circa proprium rotari axem ſpatio dierum $25\frac{1}{2}$, & circa commune gravitatis centrum transferri affirmamus.

CLXVI. Vertiginis motum planetis omnibus, & obſervationibus innixi, & argumento analogiæ ſuffulti, tribuimus;

CLXVII. Hinc ſphæroidicam figuram, ad polos compreſſam, ad æquatorem elevatam tum primariis, tum ſecundariis commumem eſſe arbitramur.

CLXVIII. Ita vero primarii omnes circa ſolem in ellypſibus feruntur, ut eorum velocitas in diverſis orbitæ punctis, ſit ſemper reciproce proportionalis perpendiculis, a centro virium demiſſis in tangentes, ductas per eadem puncta.

CLXIX. Maxima nimirum in minimis, minima in maximis, intermedia in intermediis a ſole diſtantiis.

CLXX. Hanc

Digitized by Google

CLXX. Hanc eandem legem ſecundarios planetas circa primarios ſervare, cohærenter contendimus.

CLXXI. In quibus omnibus novimus quidem Newtonianos, quibus nos hic adjungimus, ſupponere telluris motum, illum quidem abſolutum, a qua ſuppoſitione amplectenda, auctoritate ſacra deterremur.

CLXXII. Quare ubi motu telluris in hactenus dictis, & poſtea dicendis, theoriæ noſtræ opus eſſe videatur, eum dumtaxat profitemur, a nobis ſupponi, qui mere reſpectivus ſit, juxta explicationem primum hic traditam in diſſertatione de æſtu maris, & ſubinde ſæpius adoptatam.

CLXXIII. Qua declaratione, caute, & religioſe adhibita, Newtonianam gravitatem, nullo modo infringi dicimus ex planetarum deſcenſu ab apſide ſumma ad imam, & ab aſcenſu ab ima ad ſummam.

CLXXIV. Qui deſcenſus, & aſcenſus, ut impediretur, planetarum in ſolem gravitas, non in reciproca duplicata, ſed reciproca triplicata diſtantiarum ratione eſſe deberet.

CLXXV. Cujus gravitatis decrementum in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, præter alias rationes illud evincentes, ex ratione ſpatii, quo uno minuto ſecundo luna a tangente orbitæ, ad arcum deprimitur, ad ſpatium, quod noſtra gravia eodem tempore hic cadendo conficiunt, probari cum Newtono propugnamus.

CLXXVI. Apſidum lunæ progreſſum, regreſſumque, actioni Solis, gravitatem lunæ in tellurem minuenti nunc, nunc augenti dicimus adſcribendum.

CLXXVII. Quamquam vero decrementum gravitatis in ſyzygiis ſit duplum augumenti in quadraturis, neutrum tamen umquam tale eſt, ut lunæ lapſus, ſive in ſolem, ſive in tellurem ſit pertimeſcendus.

CLXXVIII. Quod falſo Artſoecherus metuebat, ne fieret, vel in conjunctione, in qua luna duplo magis in ſolem gravitat, quam in tellurem, vel in oppoſitione, ubi in tellurem trahitur viribus conſpirantibus.

CLXXIX. Non proinde irregularitatem aliquam oriri inficiamur; eam tamen, non aliam eſſe poſſe dicimus, quam, quæ differentiæ virium, quibus tellus, & luna a ſole trahuntur, correſpondet.

CLXXX. Quod

Digitized by Google

CLXXX. Quod etiam de reliquorum Planetarum motibus dictum volumus .

CLXXXI. Hactenus expoſitam Newtonianam gravitatem , & generatio Borealis Auroræ a Mairanio propoſita , & annua Æquinoctiorum Præceſſio a D' Alembert illuſtrata , & Maris æſtus confirmant.

CLXXXII. Quem æſtum idcirco in actionem lunæ potiſſimum , juxta Nevvtonianos referendum eſſe arbitramur.

CLXXXIII. Confirmant etiam Cometarum phænomena.

CLXXXIV. Cometas proinde Planetis accenſemus ; eoſque male opinatos contedimus , qui Cometas dixerunt , eſſe exhalationes in noſtra atmoſphera accenſas , aut in atmoſphera Solis , aliorumque Planetarum excitatas.

CLXXXV. Et eos multo magis , qui Cometarum originem ex Fixarum exhalationibus repetunt.

CLXXXVI. Non rectilinea itaque eſt Cometarum trajectoria , quam ex craſſioribus obſervationibus inferentes nonnulli non bene in mechanica aſtronomia philoſophati ſunt.

CLXXXVII. Nec parabolica , etſi parabolica aſſumatur ſine magni erroris periculo.

CLXXXVIII. Sed Elyptica enormiter excentrica.

CLXXXIX. Quæ omnia novam lucem acceperunt ex Cometa anno ſuperiori a Newtono , & ab Hallejo , tam multo ante prænunciato.

CXC. Cujus aberrationem a locis Cometæ obſervati a Newtono anno 1682. Clerautius ſtrenue , ac feliciter actioni Planetarum ſuperiorum ad calculum revocatæ , comperit reſpondere .

CXCI. Utrum autem gravitatis attractio exprimi debeat per crus hyperbolicum , quod numquam concurrat cum axe , ita , ut axis ipſe ſit vere aſſymptotus , quemadmodum initio aſſumpſimus , non ſatis conſtat .

CXCII. Poſſet enim , poſt bene longum intervallum , iterum axem ſecare , & quod in minoribus diſtantiis contigit , iterum in maximis evenire .

CXCIII. Quo pacto quies reſpectiva fixarum optime explicaretur.

CXCIV. Si nempe collocentur Fixæ in punctis , in quibus is arcus iterum ſecat axem .

CXCV. Cum autem hæc attractio ſit eadem, ac gravitas, ea inter proprietates corporum generales annumeranda eſt.

CXCVI. Nec ignis, nec aer, nec aliud quodcumque corpus eam infirmat.

CXCVII. Eadem gravitas terreſtris intenſive eſt eadem in eiſdem terræ locis in diverſis autem diverſa, ita ut ab æquatore ad Polos augeatur.

CXCVIII. Electricitas etiam eſt in aliquo vero ſenſu generalis corporum proprietas.

CXCIX. Omnia autem corpora, vel ab origine electrica, vel per communicationem fiunt electrica.

CC. Et pro diverſis circumſtantiis, corpora fiunt electrica poſitive, ſeu per exceſſum, & electrica negative, ſeu per defectum.

CCI. Quas varietates, quoad electriciſmum, ex diverſa Machinæ, & catenæ electricitate, & experimento Stellulæ, & Flocci electrici, & Phialæ batavicæ clare deducimus.

DE PHYSICA CONSTITUTIONE.

CCII. Corpus non eſt extenſio in longum, latum, & profundum in ſenſu Cartheſii.

CCIII. Non eſt aggregatum molecularum, ſeu athomorum continue extenſarum.

CCIV. Nec punctorum in ſenſu Zenoniſtico.

CCV. Neque monadum in ſenſu Leibnitiano, quamquam eæ dicantur non extenſæ, ſed extenſorum elementa.

CCVI. In quarum contemplatione aliquantum immorantes, dicimus eaſdem, cum ſingulæ diſſimiles ſint, non habere mutuam conjungibilitatem.

CCVII. Non eſſe univerſi repræſentativas, neque continere rationem ſufficientem ſpecialium proprietatum corporum, & poſito, quod nihil mediet inter monades, nequeunt eæ non intelligi compenetratæ.

CCVIII. Itaque corpus eſt aggregatum punctorum, quæ ſint indiviſibilia, inextenſa, homogenea, & aliquo intervallo inter ſe diſſita, & prædita viribus attractivis, & repulſivis, pro diverſis diſtantiis, juxta ſuperius conſtituta.

CCIX. Puncta hujuſmodi eſſe indiviſibilia oſtendit, non ſolum analogia virium, ſed & repugnantia infiniti abſoluti, & re-

& repugnantia partium infiniteſimalium, quæ in ſe objective determinatæ ſint, & ideæ ſubſtantiæ, quæ in ſuo conceptu exhibet ſimplicitatem.

CCX. Homogeneitatem punctorum analogica corporum reſolutio oſtendit.

CCXI. Inextenſionem probat repugnantia extenſi per identitatem ejus, quod eſt in diverſis punctis loci.

CCXII. Porro non niſi imperite Theoriam hanc de corporum compoſitione, aut minus cohærentem quiſpiam dixerit ſacræ de præſeentia Chriſti Domini in Euchariſtia Doctrinæ, aut idcirco reprehendendam, metuendamque notaverit, quaſi materialiſmum fovere, aut inſinuare videatur.

CCXIII. Sed jam ex ea præſtat, corporum proprietates præcipuas ſynthetice deducere, atque declarare.

CCXIV. Patet autem I, quomodo omnia corpora ſint naturaliter impenetrabilia; imo duplex admitti impenetrabilitatis genus.

CCXV. Alterum, quod oritur ex viribus repellentibus, quæ, cum imminutis in infinitum diſtantiis, in infinitum creſcant, pares ſint extinguendæ velocitati utcunque magnæ.

CCXVI. Alterum, quod oritur ex infinita improbabilitate, quod bina puncta materiæ concurrant in eodem ſpatii puncto.

CCXVII. Divinitus autem liquido conſtat, quomodo haberi poſſit compenetrationis genus itidem duplex, veræ ſcilicet, & apparentis.

CCXVIII. Compenetratio corporum vera eſt, qua fiat, ut dnplicis corporis elementa in eodem ſimul ſint loco: Compenetratio apparens, qua fiat, ut unum corpus, ſeu unius corporis elementa trajiciant intervalla vacua, quæ inter alterius corporis elementa continentur, iſtis, vel re, vel ſenſibiliter immotis.

CCXIX. Patet II corporum mobilitas, & quæ circa motum præclara ſunt inventa, mirum in modum ex hac Theoria fluunt, ac præcipue, quæ de actione, & reactione in colliſionibus corporum ſuperius præmiſſa ſunt.

CCXX. Patet III, diverſa corporum denſitas quomodo habeatur: illudque mire explicetur, nempe quomodo denſitas in infinitum poſſit augeri, non ſolum raritas.

Digitized by Google

CCXXI. In ſpatiolo enim, utcumque parvo componi, atque inſeri poteſt numerus punctorum, utcunque magnus; atque univerſim hoc problema declaramus = *Intra datum ſpatiolum, utcumque parvum, eum collocare punctorum numerum, qui diſtribui deinde poſſit per ſpatium, quantumvis magnum, ita ut in eo nullum ſit ſpatiolum cubicum dato quocumque, quantumvis parvo majus penitus vacuum, & quod non contineat numerum punctorum, quantumvis magnum.*

CCXXII. Patet IV, in quo conſiſtat aliorum quidem corporum opacitas, aliorum Diaphaneitas.

CCXXIII. Opacitatis nempe cauſa repetenda eſt a multiplici reflexionum, & refractionum numero, quo intra ea corpora fiunt, in quibus plures ſunt meatus vacui, vel a materia ita diverſæ denſitatis occupati, ut vires inæquales exerantur adverſus corpora advenientia.

CCXXIV. Contraria eſt Diaphaneitatis cauſſa; nempe homogeneitas particularum corporum pellucidorum, atque adeo virium æqualitas non revocat ab inito itinere luminis radios per interſtitia libere permeantes.

CCXXV. Patet V, corporum cohæſio, ejuſque leges, quæ male reponitur, ſive in quiete partium reſpectiva, ſive in velo Leibnitiano: bene autem in ratione limitum, in quibus puncta materiæ conſtituta contemplamur.

CCXXVI. Sic enim, præter quietem illam reſpectivam, habetur inſuper, ad eam ſervandam, determinatio omnino admittenda.

CCXXVII. Cumque aliqui ex iſtis limitibus ſint perquam infirmi, ii nempe, in quibus curva parum admodum recedit ab axe, liquet, cur cohæſio aliqua facillime tollatur.

CCXXVIII. Cum pariter alii ſint validiores, ii nimirum, in quibus arcus Curvæ recedit ab axe plurimum, apparet, cur aliud cohæſionis genus ægre tollatur.

CCXXIX. Hinc inter varia Fluidorum genera diſcrimen dilucida ſatis ratione exponimus.

CCXXX. Nec minus apte, in quo ſit Corporum reponenda ſoliditas.

CCXXXI. Et in quo Mollities, Ductilitaſque declaramus.

CCXXXII. Et

Digitized by Google

CCXXXII. Et denique ſimili claritate oſtendimus, quomodo per limites non Cohæſionis, cum intermediis arcubus fermentationes, diſſolutiones, præcipitationes habeantur.

CCXXXIII. Patet VI, quæ de Corporum diviſibilitate certa ſunt, & conſtitui debent.

CCXXXIV. Nam actualis diviſio etiam in hac Theoria omnem vim imaginationis exuperat, diviſibilitas autem in infinitum nulla eſt, ſed loco diviſibilitatis optime admittitur ex realibus punctis Componibilitas maſſarum in infinitum.

CCXXXV. Patet VII, quomodo intacta maneant, quæ circa generalem attractionem ex Phœnomenis Cœleſtibus certò conſtant, & Doctrinam in hac re Newtonianam, in ea ſolum parte corrigi a nobis, ſeu modificari, ubi attractionem ſola ratiocinatione, aut conjectura Newtoniani promovent ad contactum uſque.

CCXXXVI. Patet VIII. Corporum elaſticitas. Cum in hoc ſyſtemate intelligatur, quomodo Corpora aliqua plus juſto compreſſa, debeant priſtinum ſtatum recuperare.

CCXXXVII. Patet IX, quoad electricitatem ratio, cur corpora originaliter electrica non admittunt vaporem electricum alienum in interiore ſubſtantia, ſed ſolum in ſuperficiebus.

CCXXXVIII. Scilicet non omnium Corporum particulæ eaſdem habent ad vaporem arripiendum, & continendum vires.

CCXXXIX. Per quarum virium combinationem multiplicem Phialæ Batavicæ, & Quadrati Frankliniani phœnomena varia, effectuſque mirandos declaramus.

CCXL. Atque ab artificiali ad naturalem Atmoſphericum Electriciſmum aſcendentes exponimus, quomodo electricus vapor ex Atmoſphera in Virgam, & in ipſam Tellurem aliquando diffluit, aliquando vero ex Virga, atque ex ipſa Tellure in aerem deſcendat.

CCXLI. Atque hinc Fulminum genera, & Fulminum varia phœnomena, effectuſque miros Franklini, & Beccariæ comperta adoptantes, explicatione noſtra illuſtramus.

CCXLII. Denique liquido conſtat, quod de cæteris phyſicis ſyſtematis par ſit nos ferre judicium. De quibus id unum dicimus.

CCXLIII. Ne-

CCXLIII. Nempe Peripateticorum Syſtema, ſuperius conſtitutam Theoriam, nec exigere, nec reſpuere.

CCXLIV. Et ſine ulla incohærentiæ nota propugnare poſſumus, Elementa noſtra eſſe prædita forma ſubſtantiali.

CCXLV. Quæ tamen certò in viventibus ſit admittenda.

CCXLVI. Neque inſuper Elementa noſtra reſpuunt accidentia, de quibus philoſophica ſententia Auctoritate ſacra confirmatur.

CCXLVII. Neque vim vere, & proprie effectivam.

CCXLVIII. Quæ perperam a Cartheſianis refellitur, quaſi a vi creativa non diſtinguatur, quod ſatis certum diſcrimen non tollit argumentum ab auctoritate Patrum contra Ethnicos, & Manichæos de materiæ creatione diſputantium deductum.

CCXLIX. Ex quibus conſtat, quomodo phyſicum Syſtema, quod in hoc Romano Collegio primum ortum, & non ſemel hoc loco propugnatum fuit, ſalvis tribus celeberrimis punctis Syſtematis Peripatetici exponatur a nobis, ac defendatur.

EX PHYSICA PARTICULARI.

DE LUMINE, ET VISIONIS SENSU, AC DE SONO.

CCL. LUmen, quo corpora illuſtrantur, & conſpicua fiunt, corpus & ipſum eſſe volumus, quod jugiter a Sole manat.

CCLI. Et multiplici ex capite eorum minus probatur nobis opinio, qui lumen in preſſione materiæ ſubtilis, aut in tremoribus materiæ, ſive igneæ, ſive cujuſpiam alterius præexiſtentis conſtituunt.

CCLII. Argumenta autem, quibus hanc Eulerus effluvii ſententiam recens impugnavit, & difficultatibus contra undas reſpondere conatus eſt commodam patiuntur ſolutionem.

CCLIII. Lumen per rectas ſaltem ad ſenſum lineas ſphærice in medio uniformi propagatur.

CCLIV. Quod quidem nulla directa ratione, aut obſervatione,

Digitized by Google

tione, ſed indirecte, ut pleraque in phyſica, ſolummodo ex cohærentia phœnomenorum deducimus.

CCLV. Firma enim adhuc ſunt hac ſuper re, quæ contra Wolfium Boſcovichius noſter late congeſſit in diſſ. de lum. quidquid contra nitantur aliqui Wolfii ſuffragatores.

CCLVI. Luminis propagationem non inſtantanee, ſed ſucceſſive fieri mirifice inter ſe conſentientia oſtendunt phœnomena ſatellitum Jovis a Röemero expenſa, & fixarum aberrationes a Bradleyo detectæ, & denique ipſa luminis ſuperius conſtituta natura, quidquid in oppoſitum conatus fuerit Maraldus.

CCLVII. Ea autem eſt luminis ſucceſſive propagati velocitas, ut ſingulis ſemiquadrantibus percurrat 22000 ſemidiametros terreſtres, ſeu 88000000 milliariorum italicorum.

CCLVIII. Vana proinde fuerunt eorum experimentatorum tentamina, qui celeritatem lucis oculis ſubjicere voluerunt.

CCLIX. Subtilitas autem partium luminis, atque tenuitas tanta eſt, ut radii geometricas quaſi lineas imitari videantur.

CCLX. Quam in rem illud Boſcovichii theorema demonſtramus: *Quamquam ſol eam lucis quantitatem emittat, quæ impleat fulgore ſphæram decies millies mille vicibus terra noſtra majorem, tamen aquæ digitus ſphæricus continet plus materiæ, quam contineat ſumma luminis, quam ſol emitteret millenis millibus ſæculorum pluribus, quam ſint minutiſſimæ arenulæ, quæ operirent pluribus vicibus univerſam terræ ſuperficiem.*

CCLXI. Luminis in corpora incidentis proprium eſt reflecti, refringi, atque diffringi.

CCLXII. Reflexio luminis non fit per impactum immediatum in eas corporum ſuperficies, a quibus remittitur; ſed per vim quamdam in diſtantia agentem; unde novam lucem accipit noſtra de viribus repulſivis theoria.

CCLXIII. Per vim in diſtantia agentem fit etiam diffractio.

CCLXIV. Refractio vero fit, cum radius oblique incidit in medium majore pollens, vel minore vi refractiva; major autem, cæteris paribus, eſt vis hujuſmodi, uti media ſunt magis denſa, magis ſulphurea, & oleaginoſa.

CCLXV. Fit autem refractio hac lege, ut in quacumque diver-

Digitized by Google

diverſa inclinatione radii ad ſuperficiem, anguli incidentiæ ſinus ad ſinum anguli refracti ſit in ratione data; quæ ratio eſt circiter, ut 3: 2 in tranſitu ex aëre in vitrum; & ex vitro in aërem, ut 2 : 3.

CCLXVI. Porro refractio cauſa eſt, unde radius lucis in ſeptem diverſos radiolos dividatur nempe violaceum, indicum, cæruleum, viridem, flavum, aureum, rubrum.

CCLXVII. Non quod ſeptem tantummodo ſint, & per ſaltum quemdam mutentur, ſed quod ii, qui minus inter ſe differunt eodem nomine deſignantur, & in eadem ſpecie recenſeantur.

CCLXVIII. Diverſa autem radiolorum refrangibilitas ſtabilis eſt, & conſtans, atque ab ipſa lucis natura pendens, non autem a fortuitis modificationibus, quas ipſum lumen inter refringendum ſubeat.

CCLXIX. Conſtat ſcilicet multiplici experimento adhibito a Newtono radios ſemel refractos in datis mediis ſub aliqua data ratione inter ſinum refractionis, & ſinum incidentiæ ſemper datam rationem in iiſdem mediis ſervare, & etiam, qui certum refrangibilitatis gradum exhibuere in uno quopiam medio, eundem exhibere in aliis quibuslibet, quomodocumque multiplicentur refractiones.

CCLXX. Quod ipſum egregie confirmat reflexio totalis, quam medium rarius ſubeuntes ſub minori obliquitate radii magis refrangibiles aſſequuntur ita, ut diverſæ refrangibilitati diverſi reſpondeant reflexibilitatis gradus; quod quidem primus omnium detexit Newtonus.

CCLXXI. A qua doctrina nullo pacto nos dimovent, quæ adverſus Newtonum congerunt Cl. Mariotte, & Rizzetti. Eandemque nobis præterea confirmat relatio, quam habent differentiæ refractionum ad differentias longitudinis chordæ ſonantis voces muſicas in octava progrediente, per tertiam minorem, & ſextam majorem.

CCLXXII. Porro ex iiſdem principiis, quibus deducimus; radiolos eſſe ex ſui natura refrangibiles infertur etiam, propriam eſſe radiolorum eorumdem naturalem vim, ut certam coloris ſpeciem appulſi ad oculum ſinguli excitent pro diverſa ſingulorum refrangibilitate.

Digitized by Google

CCLXXIII. Hinc corporum naturalium colores ſunt ex eorum temperie certis radiolis ad oculum reflectendis idonea.

CCLXXIV. Quam temperiem pendere a craſſitie lamelarum corpora componentium, & ab intervallis facilioris tranſmiſſus, & facilioris reflexionis, variis pro radiorum varietate, indicavit Newtonus.

CCLXXV. Colores autem emphatici tunc habentur, cum temperies inconſtans eſt, ut contingit in iride, cujus cauſam ita exponimus.

CCLXXVI. Radii ſolares in guttas labentis pluviæ incidentes, & bis refracti, ſi ſemel tantummodo reflectantur iridem primariam, ſi duplici, tum reflexione, tum refractione afficiantur, ſecundariam referunt.

CCLXXVII. Inter radios illi cenſentur eſſe efficaces in iride, qui phyſice paralleli, & valde inter ſe proximi ad noſtros oculos reflectantur.

CCLXXVIII. Illi autem ſolum phyſice paralleli ad noſtros oculos perveniunt radii, a quibus, ſi de iride prima ſermo ſit, maximus, ſi de ſecunda, minimus angulus conſtituitur.

CCLXXIX. Angulus autem maximus ille eſt, qui fit a radiis minimam ad axem guttæ, tum in egreſſu, tum in ingreſſu inclinationem habentibus.

CCLXXX. Minimum contra angulum radii conſtituunt, maxime ad axem guttæ inclinati.

CCLXXXI. Iſti autem anguli prope determinata puncta ipſius guttæ fiunt, ultra quæ, & citra quæ conſtituti a radiis anguli, in primaria imminuuntur, in ſecundaria vero augentur.

CCLXXXII. Quorum omnium rationem habemus, ut explicentur halones, parhelia, paraſelene, virgæ, aliæque coloratæ formæ in atmoſphæra noſtra humiliore apparentes.

CCLXXXIII. Sed jam ad organum viſionis lumen ſatis deſcriptum ut deferamus, dicimus, radios a ſingulis corporis punctis per pupillam trajectos circa fundum oculi colligi, ubi imaginem corporum, a quibus reflectuntur, inſculpunt.

CCLXXXIV. Singulæ autem corporum partes eo melius diſcernuntur, quo conjunctiores ſunt radii ab iis profecti, cum appellunt ad organum.

CCLXXXV. Et quamquam quæ in corporibus ad dexte-

ram ſunt in læva oculi parte pingantur, & viciſſim; facile tamen explicatur, cur ſuo ſingula loco cernantur.

CCLXXXVI. Scilicet directionem, ſecundum quam jacet objecti punctum, determinat non directio radiorum ad oculi fundum pervenientium, neque directio percuſſionis; ſed directio earum imaginariarum rectarum, & punctum fundi oculi objecti puncto reſpondens.

CCLXXXVII. Ea porro objecti pars videtur clariſſime, in quam defigitur axis, vel unius, vel duplicis oculi.

CCLXXXVIII. Atque hinc cum Honorato Fabri, quomodo objecta in horopterem transferantur, explicamus.

CCLXXXIX. Objectum in duobus oculis pictum unicum ſentitur, non quia nervi optici in unam cöeant cerebri partem; non propter axium opticorum, paralleliſmum; non quia altero otiante alter tantummodo oculus intuendis objectis occupetur, ſed quia ab iiſdem punctis tranſmiſſi radii oculum utrumque movent ad objectum, in unicum locum axibus opticis concurrentibus, intuendum.

CCXC. Motus autem objectorum inde ſentitur, quod radii a variis continenter locis ad oculum ferantur.

CCXCI. Hinc phræneticis, atque ebriis corpora ſtantia nutare videntur, quia oculorum contorſione perinde a corporibus percelluntur, ac ſi radii a loco motis corporibus tranſmitterentur.

CCXCII. Majora, vel minora apparent objecta, vel evadunt intenſibilia, ſi majorem, vel minorem, aut inſenſibilem angulum efficiant axes penicillorum ab extremis objectorum limbis venientium, cum in centro humoris cryſtallini decuſantur.

CCXCIII. Vitia myopum, & presbytarum exiſtunt ex penicillis lucidis, qui ante conjunctionem diſperſi, vel poſt eam rurſum decuſſati organum feriunt: Hinc illi lentibus utantur concavis, iſti convexis.

CCXCIV. Sic illi radios divergentes reddent, & nimium cryſtallini humoris tumorem corrigent. Iſti autem ſic radios efficient convergentes, & exiguum cryſtallinæ lentis tumorem ſupplebunt.

CCXCV. Organum viſionis eſt retina ob adnexam choroidem impulſui radiorum excipiendo aptior effecta.

CCXCVI. Aliquid ex catoptrica delibantes dicimus omnia pendere ex hoc principio, quod nempe angulus incidentiæ, quem

Digitized by Google

quem efficit radius incidens in politam ſuperficiem, quique intercipitur inter radium incidentem, & perpendicularem ad punctum incidentiæ ductam, æquetur angulo reflexionis.

CCXCVII. Imago a ſpeculis planis exhibita in eo videtur puncto, in quo & cathetus incidentiæ, & radius reflexus indefinite productus interſecantur.

CCXCVIII. Hinc eſt ratio, cur in ſpeculis planis, neque augeatur, neque imminuatur imago.

CCXCIX. Hinc etiam explicatur, cur corpus ante ſpeculi plani ſuperficiem deſcendens videatur aſcendens, & ſi ſpeculum ſit inclinatum, videatur pavimentum aſſurgere.

CCC. Unicum eſt punctum concurſus radii reflexi cum catheto incidentiæ, atque hinc unica objecti imago cernitur in hujuſmodi ſpeculis.

CCCI. Radii in ſpecula convexa incidentes magis diſperguntur, quam quæ incidunt in plana.

CCCII. Et hinc eſt, cur minus etiam, quam plana vim cauſticam habeant, quamquam optimum ſit inventum illud, quo Cl. Fray, & Buffon, & multo ante Kirkerius noſter cauſticam vim planis etiam ſpeculis attribuerunt.

CCCIII. Nec proinde habenda eſt fides narrantibus, ab Archimede ſpeculis planis adhibitis Romanorum naves incenſas.

CCCIV. Hinc etiam deducenda eſt ratio, cur in ſpeculis convexis imagines minores objecto appareant, & ea, quæ procul ab eorum ſuperficie ſpeculis hujuſmodi objiciantur, minora ſimul appareant, & ſpeculi centro propiora, & cur linea recta illis propoſita appareat curva.

CCCV. Imago in ſpeculis convexis nunquam pingitur ultra dimidiam partem ſemidiametri ejuſdem, nempe remotior eſt ſemper a centro ſpeculi, quam a ſuperficie ejuſdem.

CCCVI. Luſus tamen eſt phantaſiæ, & error, quod vultus noſtri imago videatur magis accedere ad centrum ſpeculi, quam per leges catoptricas fieri par ſit.

CCCVII. Si radii incidant in ſpecula concava non excedentia duodecimam ſphæræ partem, reflectuntur, & uniuntur in parvo circulo prope medium ſemidiametri.

CCCVIII. Parabolicorum vero ſpeculorum proprietas eſt radios parallele incidentes in uno puncto colligere.

CCCIX. Ex dioptrica hoc principium excerpimus, & ſtatuimus:

tuimus: Objecta viſa trans medium pellucidum per radios refractos eo apparere in loco, in quo concurrerent radii incidentes in oculum, ſi retro ducerentur.

CCCX. Hinc explicamus, quomodo per lentes, & convexo-convexas, & plano-convexas objecta viſa appareant, & majora, & remotiora ab ipſis lentibus, contra autem fiat, ſi per lentes concavas aſpiciantur.*

CCCXI. Id autem ex imaginaria radiorum retroceſſione eſt repetendum. Hinc etiam declaramus microſcopiorum uſum.

CCCXII. Et inſuper teleſcopiorum utilitatem, ſive ea ſint dioptrica a Galilæo, aut Zacaria Janſen inventa, aut catadioptrica inventa a Jacobo Gregori, a Newtono, & ab Halleyo expolita.

CCCXIII. Nonniſi temere ſperarunt nonnulli eo poſſe teleſcopia deduci, ut per ea minima etiam in planetis objecta conſpiciantur.

CCCXIV. Sonus cum lumine pulcherrimam ſervat analogiam, cujus ſeptem capita recenſet Boerahavius.

CCCXV. Ut in lumine ſeptem primitivos colores diſtinguimus, ita & in ſono ſeptem diſcernimus primarios tonos.

CCCXVI. Ejus ſoni naturam reponimus in motu tremulo, & reciproco aëris a motu minimarum ſonori corporis particularum excitato.

CCCXVII. Qui deinde nervi acuſtici fibris communicetur.

CCCXVIII. Cl. Mairani hac in re doctrinam accipimus, & proinde aëris particulas non omnes ejuſdem rationis eſſe volumus, ſed alias majores arcus in oſcillatione deſcribere, alias minores, iiſque nervi acuſtici fibrillas diverſas reſpondere.

CCCXIX. Vibrationum frequentia, & tarditas cum proportione pariunt tonos acutos, & graves.

CCCXX. Intenſitas autem ſoni eſt ex amplitudine vibrationum.

CCCXXI. Harmoniæ principium in iſochroniſmo cum Cl. Rameau conſtituimus.

CCCXXII. Et ex eo omnes harmoniæ leges deducimus.

EX

Digitized by Google

EX METAPHYSICA.

DE DEO, ET ANIMA.

CCCXXIII. Aſſumta idea realis entis, quam atheus non poteſt rejicere, poſſibilitas entis optimi, ejuſdemque realis exiſtentia demonſtratur evidenter.

CCCXXIV. Metaphyſice certum eſt Mundum hunc nobis conſpicuum factum non eſſe a caſu; ſed opus eſſe ſapientiſſimæ mentis, quæ illum fabricata ſit; adeoque Deum, ſub idea artificis ſummi demonſtramus.

CCCXXV. Demonſtramus quoque falſitatem furioſæ opinionis, quam ſummus Pantheiſta Spinoza tuetur (*Eth. part. 2.*) de divina eſſentia, quam non ſecernit ab ipſius Mundi natura.

CCCXXVI. Præterea, qua ratione ens optimum exiſtere oſtendimus, Deum probamus eſſe unicum contra Polytheiſtas.

CCCXXVII. Et contra Manichæos a Deo ablegamus conſortionem alterius principii, cui ipſi vel tribuunt divinitatem, vel potius mala omnia adſcribunt; quod proinde ſumme malum, ſummeque maleficum dicunt.

CCCXXVIII. Philoſophicis etiam argumentis oſtendimus Deum triplici ſcientia eſſe præditum; altera, qua objecta neceſſaria videt, altera qua abſolutam contingentium intuetur exiſtentiam, tertia demum, qua certo cognoſcit conditionate, futura, quæque merito ſcientia media appellatur.

CCCXXIX. Deum itidem quoad actiones ad extra ſumme liberum volumus iiſque vehementer adverſamur, qui εἱμαρμένην obtrudunt & talem ordinem, ſeriemque eventuum admittunt, qui ſit quaſi rudentis explicatio.

CCCXXX. Et præterea non obſtante aſſerta libertate, ſtatuimus Deum eſſe actum purum imperfectibilem.

CCCXXXI. Denique ab injuriis, & argumentis Epicureorum, Dei providentiam, & Dei potentiam creatricem ex nihilo vindicamus.

CCCXXXII. Cauſæ ſecundæ egent divino immediato concurſu, qui in actu primo eſt applicatio divinæ omnipotentiæ facta per decretum.

CCCXXXIII. Decreti hujuſmodi tendentia ne conditionate quidem, dicenda eſt directa, & efficax in effectum determinatum.

CCCXXXIV. Concurſus Dei in actu ſecundo non diſtinguitur

Digitized by Google

guitur ab actione creatnræ, quæ ita actualiter a Deo concurrente adjuvatur.

CCCXXXV. Nec ullum proinde, aut creatæ libertati, aut ſanctitati divinæ detrimentum eſt pertimeſcendum.

CCCXXXVI. Phyſicæ prædeterminationis neceſſitatem, nulla ratio naturalis evincit.

CCCXXXVII. Neque eam ullo pacto inſinuant locutiones, aut concilii tridentini, aut S. Auguſtini, aut Angelici doctoris.

CCCXXXVIII. Imo ex iiſdem non leve duci argumentum ad eam refutandam exiſtimamus.

CCCXXXIX. Præterea, quamquam a viris catholicis, in catholicis ſcholis noverimus doctrinam de phyſica prædeterminatione & docte, & impune defendi; nos tamen philoſophice differentes eam putamus non componi poſſe cum creata libertate indifferentiæ.

CCCXL. Et denique eamdem ad actus pravos traductam divinæ ſanctitati repugnare.

CCCXLI. Ad hominis animam quod attinet, & ad animaſticam facultatem; ſtatuimus in primis: vim cogitandi eſſe ſubſtantiam ſpiritualem materiæ omnino expertem; idque contra omnes materialiſtas.

CCCXLII. Eoſdemque vehementer improbamus, qui animos tamquam capite damnatos morte multant, cum ex principiis etiam naturalibus liquido conſtet eos eſſe immortales: non ita eſt de reſurrectione corporis humani, quæ ſolum ex fide innoteſcit. Qua in re paullum immorantes identitatem corporis ſurrecturi male explicatam a Leibnitio confugiente ad prima ſtamina, & rudimenta: male itidem a Lockio obtrudente perverſam ſuam de identitate perſonæ, ſeu memoriæ, aut conſcientiæ, opinionem; nos & explicamus philoſophice, & vindicamus a difficultatibus, quæ ab Anthropophagis peti ſolent.

CCCXLIII. Quamquam nullam ex ſententiis quæ circumferuntur de animæ cum corpore commercio propugnemus; firma tamen argumenta proferimus tum adverſus occaſionaliſtas.

CCCXLIV. Tum adverſus Harmoniſtas;

CCCXLV. Tum adverſus rigidiores Influxiſtas.

CCCXLVI. Illud igitur unum quavis ratione tenemus; animam eſſe veram corporis formam, & mutuo interiore commercio utriuſque munera contineri.

CCCXLVII. Sen-

Digitized by Google

CCCXLVII. Senſationes in ſenſibus exterioribus non habitant;

CCCXLVIII. In ſolo enim cerebro, guſtamus, videmus, olfacimus, tractamus, audimus.

CCCXLIX. Senſationem aliquam, præterea, volumus cuilibet ſemper appetitioni præcurrere adverſum Gaſſendianos.

CCCL. Atque impetus facultatis appetentis, nequaquam in bonum ferri cognitum, ſed tantummodo experientia aliqua perceptum.

CCCLI. Nec facultatis ejuſdem ſedes ſunt præcordia, ſed illæ partes in quibus ſenſus externi ſedes fixa eſt.

CCCLII. Denique rejicimus incorporearum etiam rerum, ſignata in mente veſtigia, vi quorum res cogitatas, quod memoriæ eſt, recordemur;

CCCLIII. Eadem etiam rejicimus, & iis opus non eſſe exiſtimamus, cum habitas olim cogitationes per reminiſcentiam animo repetimus.

CCCLIV. Functiones ſcilicet hujuſmodi præſtat mens noſtra ope corporearum ſpecierum, ſeu veſtigiorum, quæ in cerebro conſignata ſervantur.

CCCLV. Ex quibus illud etiam conficimus, diverſam cerebri ſtructuram & ſpirituum animalium copiam ad mentis aciem, ſive ad ingenium, aliquid intereſſe;

CCCLVI. Ut proinde cerebrum *divinum artum* dixiſſe Plato, & *mentis cuſtodem* Democritus merito vocaſſe videatur; quod nimirum ex eo ſubſidia, & inſtrumenta habeamus, quibus omnis facultas animi continetur.

CCCLVII. Quibus omnibus confectis Deum ab homine, vero tum interno, tum externo religionis cultu venerandum eſſe demonſtramus.

CCCLVIII. Quo cultus nomine eum unice deſignamus, quem proponit, & præcipit revelata Religio; ſcilicet Catholica Eccleſia;

CCCLIX. Cum uſus rationis, & principia tantummodo naturalia, in hoc maxime naturæ ſtatu, honeſto, ac religioſo homini ſatis eſſe non poſſint.

FINIS.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,


Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

D. Giordani Archiep. Nicomedien. Viceſg.

IMPRIMATUR.


Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google




Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google